



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. III. Quòd vtile sit, sæpè communicare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

propitiationis eius, numquam exhauritur. Ideò noua semper mentis renouatione, ad hoc disponere te debes, & magnum salutis mysterium, attentè consideratione pensare. Ita magnum, nouum, & iucundum tibi uideri debet, cùm celebras, aut Missam audis: ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset: aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur & moreretur.

## CAP. III.

*Quòd utile sit, sapè communicare.*

## VOX DISCIPULI.

**E**CCĒ, ego ad te venio Domine, vt benè mihi sit ex munere tuo, & lætificer in conuiuio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi DEVS. Ecce, in te est totum, quod desiderare possum & debeo; tu salus mea, & redemptio, spes & fortitudo, decus & gloria. Lætifica ergo hodie animam serui tui, quoniam ad te Domine Iesu

Iesu animam meam leuauit. Desidero te nunc deuotè ac reuerenter suscipere; cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahamæ computari. Anima mea Corpus tuum concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat.

2 Trade te mihi, & sufficit. Nam præter te, nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo; & sine visitatione tua, viuere non valeo. Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meæ recipere: ne fortè deficiam in via, si fuero cælesti fraudatus alimonia. Sic enim tu misericordissime Iesu, prædicans populis, & varios curans languores, aliquando dixisti: Nolo eos ieiunos dimittere in domum suam, ne deficiant in via. Age igitur hoc mecum modo, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti. Tu es enim suavis refectionis animæ, & qui te dignè manducauerit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ. Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpè labor, & pecco, tam citò torpescō & deficio; vt per fre-

Mat 15

Mar. 8.

M

quen-

quentes orationes & confessiones, ac  
sacram Corporis tui perceptionem,  
me renouem, mundem, & accendam;  
ne fortè diutiùs abstinendo, à sancto  
 proposito defluam.

Gen 8.

3 Proni enim sunt sensus hominis  
ad malum, ab adolescentia sua, & ni-  
si succurrat diuina medicina, labitur  
homo mox ad peiora. Retrahit ergo  
sancta Communio à malo, & confor-  
tat in bono. Si enim modò tam sapè  
negligens sum & tepidus, quando  
communico aut celebros; quid fieret,  
si medelam non sumerem, & tam  
grande iuuamen non quærerem? Et  
licet omni die non sim aptus, nec ad  
celebrandum benè dispositus; dabo  
tamen operam, congruis temporibus  
diuina percipere mysteria, ac tantæ  
gratiæ participem me præbere. Nam  
hæc est vna principalis fidelis animæ  
consolatio, quàm diu peregrinatur à  
te in mortali corpore, vt sapiùs me-  
mor Dei sui, dilectum suum deuota  
suscipiat mente.

4 O mira circa nos tuæ pietatis di-  
gnatio, quòd tu Domine Deus, crea-  
tor & viuificator omnium spirituum,  
ad

ad pauperulam dignaris venire animam, & cum tota diuinitate tua ac humanitate, eius impinguare esuriem. O felix mens & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur deuotè suscipere, & in tui susceptione, spiritali gaudio repleri! O quàm magnum suscipit Dominum, quàm dilectum inducit hospitem, quàm iucundum recipit socium, quàm fidelem acceptat amicum, quàm speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis, & super omnia desiderabilia amandum. Sileant à facie tua (dulcissime dilecte meus) cælum & terra, & omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis, nec ad decorem tuiperuenient nominis, cuius sapientiæ non est numerus. Ps. 146.

M 2 CAP.